

191

189

195

185

200

180

240

140

290

090

Ende

Anfang

180

cundo dicebatur Essaea, quasi ipsius Esse conservativa, de quo dicit Eusebius de evangelica praeparatione L. X. C. 2: Aegyptus, inquit, venusta regio, in qua longam aetatem multi consecuti sunt propter aestivi temporis serenitatem, quam maxime possidet. Nam calamitas diluvii Deucalionis, cum universas regiones vastaret et homines ac jumenta submergeret, Aegyptum non tetigit, sed cessa-
ntibus aquis homines et jumenta ad alias regiones de Aegypto revenerunt. Vel propter terrae sempiternam ubertatem, qua prae aliis floret, nam alibi deficientibus hominibus et pecori-
bus fame, hic conservantur in Esse, ut supra fol. 108 et sqq.
Ideo Essaea dicitur. Vel dicitur Essaea propter longaevum illius
terrae statum et diuturnam inhabitacionem. Reperitur enim in
libris vetustissimis Aegyptiorum sacerdotum, ut dicit Varro ille
prudens, et Solon, de VII Sapientibus mundi illustrior, quod cent-
tum millia annorum transierunt, postquam Aegyptii religionem
comprehenderent, et quod sapientia apud Aegyptios viguit XL
millibus annorum. De civitate etiam quadam Aegypti, Sami
dicta, dicunt, quod steterit octo millibus annorum, et quod olim numero hominum omnes fere orbis gentes superavit. Ideo
civitates et oppida decem et octo millia in Aegypto fuisse anti-
quorum libri continent, et numerum universi populi fuisse septies
decies centena millia; nunc haud pauciores decies tercentenis mil-
libus tradunt. Haec Diodorus L. I. Cap. 1. Et quod his amplius
tradunt Aegyptii, ab orbis initio primos homines apud se creatos
bonitate et felicitate soli et propter Nilum, qui multa generat, et
suape natura, quae genuit facilime nutrit. Et illi primi homines
in Aegypto geniti hunc mundi ornatum consipientes admirantes-
que universorum naturam, duos esse deos et eos aeternos ar-
bitrati sunt, scilicet solem et lunam, et solem quidem Osiridem,
et lunam Isidem putaverunt. Sic ergo numero hominum haec
regio omnes superat regiones. Sic et numero civitatum, quae
priscis temporibus ultra decem et octo millia fuisse in Aegypto
libri sacri continent Ptolomaei, sed post Lagi tempore amplius tria
millia, quae usque ad nostram aetatem perdurant. Haec Diodorus.
Et Eusebius de evangelica praeparatione L. I. C. 2. dicit: plu-
res in sola Aegypto urbes, quam in reliquo terrarum orbe fuisse
audavit, a priscis diis, Jove videlicet, Sole, Mercurio, Apolline,
Pane, Lucina aliisque quam plurimis conditas. Et multa stupenda

